Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26228
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et archidiaconus. canonicus. monachus. aut aliquis clericus.
Cap. Qui studet donum dei etc. usque iezi gratiam sanitatis. Item ex
hystoria in quarto libro regum. Quod postquam neaman princeps milicie regis syrie
iussu helisei lotus est septies in iordane. et mundatus a lepra
rediit ad heliseum rogans eum ut benedictionis gratia aliquid
ab eo acciperet. Cumque non acquievisset accepta licentia reuer-
tebatur. Puer vero helisei nomine iezi videns. quod homo dei nichil
ab eo accepisset. clam secutus est eum post tergum. Quem cum vidisset
neaman post se. desiliens de curru in occursum eius dixit. Rectene
sunt omnia. Et ille ait. Recte. Dominus meus misit me ad te dicens.
Modo venerunt ad me duo adolescentes de monte effraim ex
filiis prophetarum. Da eis talentum argenti. et vestes mutato-
rias duplices. Et ligauit neaman duo talenta argenti in
duobus saccis. et duplicia vestimenta. misitque duos pueros su-
os qui portauerunt coram eo. Cumque venisset iam vespere. tulit iezi
de manu eorum. et reposuit in domo. dimisitque pueros et abi-
erunt. Ipse autem ingressus. stetit coram domino suo. Cui dixit heliseus.
Unde venis iezi. Qui respondit. Non ivit seruus tuus quoquam. At ille ait. Nonne
erat cor meum in presentia. quando reuersus est homo de curru suo in
occursum tui. Nunc ergo accepisti argentum et vestes. ut emas oli-
ueta et uineta. et oues. et boues. et seruos et ancillas. Sed et lepra
neaman. adherebit tibi. et semini tuo. in sempiternum. Et egressus est
ab eo leprosus et candidus. quasi nix. Cap. Cum ordinaretur episcopus etc.
usque denique moabite et ammonite. Tanquam illud quod dominus per moysen
filiis israel dixit. Non ingrediatur mamzer: hoc est de scorto natus. in ecclesiam
domini. usque ad decimam generationem. de monte et moabite. et post